

www.e-rara.ch

Polydori Vergilii Urbinatis de rerum inventoribus libri octo

Vergilius, Polydorus

Basileae, 1540

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4058>

Polydori Vergilii Urbinatis ad Ludovicum Odaxium Patavinum praefatio

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

POLYDORI VER

GILII VRBINATIS AD

LVDVICVM ODA-

XIVM PATAVINVM

PRAEFATIO.



SV M equidē nescius Ludouice Oda-
xi, qua uenia digni accipiantur illi,
qui longē à uero aberrantes, in fabu-
lis dūtaxat neruos prorsum omnes
contenderint. In quorum sanē nu-
mero, cum poëta tum ueteres phi-
losophi maxime sunt: sed illis quo-
rum proprium est nugas sectari, ignoscendū est: his autem
non item: quippe qui cum ueritatis, quæ, sicuti præclare Pin-
darus ait, magnū est uirtutis principium, inuestigandæ gra-
tia, talem scribendi materiam nacti essent, ut eam suapte na-
tura sese illis sæpius offerentem, facile comprehendere pos-
sent, ad eò in obscuris uersati sunt tenebris, ut pro ueritate,
magis magisq; fingendi fabulas materiam præbuerint. Ete-
nim, ut de initijs rerum, de mundi fabrica taceam, cum de
Deo aut cœli motu differerent, physica quadā ratione, mul-
to nempe maiorem quàm foret, deorum multitudinem red-
diderunt, qui induti specie humana fabulas poëtis suppedi-
tarunt, hominum autem uitam superstitione omni referse-
runt, ueluti qui mox uiros beneficijs excellentes in cœlum,
sicut docuimus, fama ac uoluntate tollere cōsueuerint. Quæ
tametsi summæ leuitatis plena sunt, dicuntur tamen, & stul-
tissimè creduntur. Sed ipsi philosophi cum sapientiæ lau-

dem adepti essent, eò quòd pleno gressu ueritatem sequi uide-
 rētur, nihil eos profectò, ut arbitror, tam deuos egit, quàm
 ueri Dei ignoratio: ex quo haud dubiè tot fabularum delira
 menta manarunt, tunc potissimè cum futilis esset hominum
 simplicitas: nam nostro tempore, quo quidem impendiò ho-
 mines sapiunt, quis huiuscemodi deos colit, quorum accipi-
 mus cupiditates, ægritudines, iracundias, bella, uulnera, li-
 bidines? Quis harpyias fuisse, aut chimæram monstrũ pu-
 tat? Quæ ue anus tam excors inueniri potest, quæ illa quæ
 quondam credebantur apud inferos portenta extimescat?
 Quis tam hebetis ingenij est, ut metuat ne supra se cœlum
 labet? sicut Galli Adriæ uicini, Magno olim Alexandro per-
 contanti, quidnam esset quod maximè pertimescerent, sese
 formidare id tantum respondisse dicuntur. Vbi gentiũ men-
 sa Solis est, quæ diuinitus epulas suppeditet? quam Aethio-
 pes se quondam habere iactabant. Verissimè igitur M. Tul-
 lius inquit, diem opinionum commenta delere, naturæ iudi-
 cia confirmare, quoniam, ut apud Gellium non minus scitè
 quàm elegãter legimus, solum tempus ueritatis est parens.
 Quare hoc fabulis fidem habendi uitium, magis temporum
 quàm hominum fuisse dixerim. At nobis qui longè hercle se-
 liciore ætate geniti sumus, propterea quòd uerũ Deum quo-
 tidie intuemur, contemplamur, atque ueneramur, nullisq;
 amplius præstigijs dæmonum ducimur, ecquid turpius ma-
 gis ue pudendum esse potest, quàm nugas terere, & fonte
 ueritatis omisso, fabularum riuulos sectari? cum præsertim
 ita natura comparatum constet, ut nullus suauior animo ci-
 bus sit, quàm ueri cõgnitio. Ego itaq; opus de rerum inuen-
 toribus orsus, partim ut nemo sua laude (inuenire enim pri-
 mum præcipuumq; est, reiq; inuentæ dignitas adeò multos
 trahit

trahit in amorem sui, ut singuli, si fieri possit, autores se dici uelint fraudaretur, partim ut qui imitari uellent, scirent quos sequi deberent, ne quid criminis subirem, quam uerissimè potui, omnia tradidi, maximè cum de origine deorum, & eorum cultu, de rerum initijs, de hominis ortu prodidimus: quod ne utiquam facile fuit, quando iam nugæ cuncta oppleuerant. Cæterum sum ego itidem, fateor, in plerisq; locis id genus fabulas secutus, quibus etiam uerum specie aliqua uelatum subest: ob id tamen nihilominus ueritati hæsimus, quando hoc ratio ipsa exigere uisa est. Et quanquam Saturno, Ioui, Neptuno, Mercurio, Dionysio, Apollini, Aesculapio, Cereri, Vulcano, & alijs quos deos uocant, quædam assignauimus, ea ipsa tamen illis tanquam mortalibus, non tanquam dijs, licet ipse quoq; deos nuncupauerim, attribui mus. Haud me fugit insuper, quosdã maliuolentissimos fore, qui industriam nostram fortasse temeritatem appellabunt, quia ego solus de rerũ inuentoribus scribere ausus sum, quod nemo ante me, præter Plinium, particulatim tentarat, qui in septimo natural. histor. de hac re strictim admodum meminit, fabulas sic secutus, ut minus ueritatem inuestigarit. Verum illud prorsus ignorabunt, id multò esse præclarius, quò difficilius extiterit. Ecquid enim laudis affecutus esset Cæsar, si facile fuisset Britannis bellũ inferre? Aut Annibal quantum gloriæ sibi comparasset, si peruias Alpes dum Italiam adiret, citra, ut dicitur, puluerem sudoremq; ac nõ magna suorũ cæde, fecisset? Propter quod nos etiam hoc opus, et si arduum, magno animo suscepimus, maturauimusq;: in quo si quid desiderabitur, nemini mirum sit, quando multa non modò uetera, sed noua inuenta sunt, quorum, ut in calce tertij operis libri perspicuè demonstrauius, inuentores in

densissimis omnino umbris latent. Non idcirco tamen infior, haud enim tantum mihi assumo, cum sint hodie plures longè me doctiores, quin possit quispiam de hac re, ueluti de prouerbijis, quorū libellum proximo anno Guidoni principi Urbini duci inscripsimus, copiosius tradere. Verū quicumq; hoc uel illud posthac ingredietur iter, quia nos primi stadium cucurrimus, is fortasse nostra uestigia sequi nō grauaabitur. Has autem, qualescūq; sunt, lucubrationes, in quibus multarū rerum origo continetur, nemini cōuenientius dicari posse uel debere iudicaui, quā tibi, qui ad unguem scriptorum omnium monumenta noris: nam, uti diuus Hieronymus inquit, illi tertium Vergilij Aeneidos librum lucidius intuentur, qui à Troade per Leucadem, & Acroceraunia, ad Siciliam, & inde ad ostium Tyberinum nauigarint: qui insuper sic Guidoni Urbini duci nostro ab ineunte eius aetate, à diuo Federico, ut olim à Philippo Macedone Magno Alexandro Aristoteles, præceptor datus es: qui cum te duce, utriusq; linguae peritissimus euaserit, haud equidem immeritò præ omnibus ei charissimus es, apud quem, ut par est, summū dignitatis gradum tenes, à quo deniq; tanti fis, quanti certè fieri debes. Accipe igitur Ludouice Odaxi, hilaro uultu, hoc opus à Polydoro tuo Vergilio, idq; ea frontis seueritate perlegito, qua eiusmodi scripta legere consueuisti. Vale, Urbini, Nonis

Augusti. Anno

M. CCCC. XCIX.